

SVATOCOPIVS MORAVIAE REX.



Svatocopius magna corporis & animi fortitudine fuit praeditus. Itaque Moravii eum sibi regem constituerunt, circa annum Christi octingentesimum sexagesimum. Erat autem Moravia regio tum latissima, ita ut & Hungari, Bohemi, Poloni, & Russi eius Imperium agnoscerent, ipse uero Imperatori Romanorum obediret. Cum uero hactenus idolorum superstitiones cum suis obseruasset, a S. Cyrillo & Methodio fratribus institutus errores reliquit, atque cum Christiana doctrina baptismum suscepit. Regnauit Svatocopius diu feliciter, atque suos subditos religione & legibus mansuetiores reddidit.